

Nullus dubito, quin alter nostrarum stirpium fasciculus intercedente opera Bernardi Jussiae ad te pervenerit. Paratum habeo tertium fasciculum alpinarum stirpium, quem proximo mense aprili mittam ad Sueciae Consulem in Sardinia degentem.

Maxima horti Taurinensis inopia motus ad te confugio, Praestantissime Botanices parens, teque enixe rogo, ut velis nonnulla rariorum exoticarum stirpium semina communicare. Supra modum me tibi devincies, nullique diligentiae parcam ut italicas stirpes, tibi porrigere queam. Vale vir sapientissime, meque habe tui nominis cultorem observantissimum.

Dabam Aug. Taurinorum die 12. januarii. 1761.

Semina mittere operis [!] aut ad Praecl. Johannem Burmannum, aut ad Nobilissimum Virum Comitem La Marmora Legatum Regis Sardiniae apud Batavos Hagaecomitum degentem Horum Cl. Virorum opera tua munera prompte ad manus meas venient.

Utanskrift:

*A Monsieur
Monsieur Linnaeus Chevalier
de l'Etoile Polaire et Très Célèbre
Professeur d'Histoire Naturelle etc.
a Stockolm.*

Linn. Soc., Vol. I: 25—26.

13.

Viro amplissimo Clarissimoque
DD. CAROLO ALLONIO
Botanico Celeberrimo

s. pl. d.

Car. Linnæus
Equ.

Hodie Tuas d. 12 januarii datas rite accepi, quamvis eas Holmiam direxeris, sed amicus ad me misit. Quæso si in posterum Tuis exhilarare velis, eas inscribas *Societati Regiæ Scientiarum Upsaliæ*, cujus omnes literas ego aperio.